siue ramusculi eius frondentes. & in tempore siue anno siccitatis non erit
sollicitus. siue non timebit. nec aliquando desinet facere fructum; Illud deni
que dictum sit & de hereticis qui spem habent in homine. in christo uidelicet
suo quem non filium dei sed purum hominem putant esse uenturum; Et e con
trario uir ecclesiasticus qui confidit in domino audit illud; Et scitote quoniam
dominus ipse est deus; Confidit in domino & illi ligno conparabitur. de quo & in primo
psalmo cantatur; Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus
aquarum. quod fructum suum dabit in tempore suo & folium eius non deflu
et; Super aquas autem spiritus sancti gratiam diuersas donationes. quod ad humorem
mittit radices suas a domino accipiat ubertatem; Sed & aliter possumus dicere.
quod de siccitate iudaica translati sumus in baptismatis gratiam sempiter
nam; Et non inquit timebit cum uenerit estus. uel tempus persecutionis uel
dies iudicii; Et erit folium eius uiride siue erunt in eo ramusculi fron
dentes. & numquam timeat siccitatem. sed cunctarum uirtutum ger
minet gratia; Cumque tempus siue annus uenerit siccitatis non me
tuet. quando dominus iratus mandauerit nubibus ne pluant super israhel
imbrem; Quodque sequitur. nec desinet facere fructum. illum locum
qui in marco scriptus est quando uenerit dominus ad ficum & non inuenerit
in ea fructus quia necdum erat tempus. & maledixerit ei ut fruc
tus non faciat in aeternum exponere poterit; Qui enim confidit
in domino & dominus est fiducia eius. etiam in tempore iudaice siccitatis non
metuet. sed semper affert fructus credens in eum qui semel
pro nobis mortuus est & ultra non moritur. & dicit ego sum uita;
Prauum est cor omnium hominis & inscrutabile. quis cognoscet illud? Ego dominus

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc417/0170